



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

IV. Vtrum perfectiones diuinæ distinguantur inter se virtualiter intrinsedè?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

sibi superadditi. Sed simul ignoramus naturaliter, qualis sit ea natura, & inter alia; an exigua multiplicitas substantiæ; eiusque; an absolutæ, an relationis; an distinctæ, an indistinctæ virtualiter ab ipsa. Sicut etiam ignoramus naturaliter, an, & qualiter hæc eadem prædicata conveniant substantiæ; seu supposito diuino. Est igitur eadem vni-formis notitia, & ignorantia circa utrumque extremum.

Art. 1. Ad 4. Conceptus genericos, & específicos substantiarum nos non distinguimus, nisi relatè ad diuersa accidentia, & operationes diuersas. Quia non cognoscimus substantias, nisi dependentè à sensatione accidentium, quæ illis insunt, & ab experientia operationum, quibus exercentur. Vnde pro formandis diuersis conceptibus, circa substantias magis, aut minus communibus, necesse est, vt conuertamur ad accidentia realiter diuersa, aut ad diuersas operationes, quæ pluribus, aut paucioribus insunt substantiis; ita vt indiuisim concipiuntur substantiæ in recto, & operationes, aut alia accidentia ipsarum in obliquo. Quia verò accidentia, quæ sunt communia pluribus substantiis, habent quodammodò rationem materiæ respectu accidentium coniungibilium secum, quæ sunt communia paucioribus substantiis; quatenus illa habent, respectu istorum, indifferantiam, & separabilitatem non tantum similem illi, quam habet materia respectu formarum; atque conceptus genericus complectitur in obliquo accidentia illa communiora; differentialia verò ista alia non vsque aded communia; propterea Philosoph. 5. Metaphysic. text. 10. & 35. rectè pronuntiat genus esse simile materiæ; & D. Thomas in hac quæst. 3. artic. 5. dicit genus esse simile potentia, & differentiam actui, seu formæ.

Art. 2. Hinc apparet Deum sub nullo genere contineri vniocè, sed tantum analogicè. Quia conceptus generici abstracti à Deo, & creaturis, partim conueniunt Deo, nempe quoad rectum; partim non conueniunt, nempe quoad obliquum, quandoquidem nulla Deo accidentia insunt. Quapropter dicendum potius est absolute cum D. Thoma ibidem, Deum sub nullo genere contineri, seu formaliter, seu reductiue. Pro qua sententia habetur magnum pondus auctoritatis ex PP. Theologis, & Philosophis apud Fasolum in dicta quæst. & artic. dubit. 2. Ea autem posita excluduntur patenter duæ illæ conclusiones illatæ contra simplicitatem, & vnitatem Dei.



QVÆSTIO IV.

Utrum perfectiones diuina distinguantur inter se virtualiter intrinsecè?

IDENTUR distingui 1. Quia illa prædicata distinguuntur virtualiter intrinsecè, quæ identificantur inter se realiter, simulque æquivalent perfecte prædicatis similibus realiter inter se distinctis. Perfectiones autem Dei, cum omnes identificentur realiter inter se, & patet ex q. præcedenti, æquivalent simul perfectissime omnibus perfectionibus creaturarum distinctis realiter inter se; Quandoquidem Deus continet in se indiuisim omnem bonitatem existentem cum diuisione in creaturis. Ergo tot, vt minimi, perfectiones virtua-

R. P. de Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

liter intrinsecè distinctæ admittendæ sunt in Deo, quot reperiuntur realiter distinctæ in creatoris.

2. Distinctio realis mutua perfectionum creaturarum, per se ipsam formaliter, est vna ex iisdem perfectionibus. Quia dependentè ab ipsa, & cum eiusdem inclusione formali dantur in rebus modus, species, & ordo, & in quibus consistit formalis ratio bonitatis, & perfectionis secundum Augustinum c. 3. de natura boni, aliosque communiter cum D. Thoma q. 5. art. 5. Ergo sicut alie perfectiones creaturarum verè insunt virtualiter, & æquivalenter Deo, vt est à parte rei; ita etiam inest eidem virtualiter, & æquivalenter distinctio mutua earundem perfectionum, neque sine ipsa conuenire Deo posset formalis ratio bonitatis.

3. Distinctio virtualis intrinseca est perfectio sine imperfectione. Ergo est admittenda inter omnes, & singulas perfectiones diuinas formaliter, seu ratione nostra utrumque diuersas. Patet antecedens. Quia alias nec inter naturam, & personarum diuinas dari posset talis distinctio; inter quas tamen inuicè auter ea admittitur ab omnibus, nec negari potest, vt apparebit infra agendo de mysterio Trinitatis. Patet item consequentia. Quia vnaquælibet perfectio diuina continet in se formaliter omnem puram perfectionem, quasi reflexam, & vltimò completiuiam ipsius: Et quia in essentia diuina, vt præcisè à personalitatibus, inuenitur formaliter omnis perfectio sine perfectione, ne dicatur Deitatem non esse conceptum omnis puræ perfectionis formaliter.

4. Ideò Deus intelligit, & vult, quia potest intelligere, & velle; & non è conuerso: ideòque est verum à parte rei independentè à modo nostro concipiendi. Verum autem esse non potest, quin potentia, seu actus primus intelligendi, & volendi sit prior saltem virtualiter intrinsecè, quàm intellectio, & volitio actualis tam necessaria, quàm libera. Sed neque prioritas virtualis intrinseca dari potest absque distinctione virtuali intrinseca; quandoquidem nihil se ipso prius esse potest secundum idem genus ipseitatis, & prioritatis. Distinguuntur ergo virtualiter intrinsecè ea extrema. Eadem est ratio, si & vrgentiore non est, de intellectione actuali, & actuali volitione. Ideò enim Deus vult, & amat, quia intelligit, & cognoscit, iuxta illud Philosophi indubitatum apud omnes; *Nihil volitum; quin præcognitum*. Ergo volitionem, & amorem Dei etiam erga se ipsum secundum se præcedit necessariò cognitio ipsius, non ex solo modo nostro concipiendi, sed verè à parte rei aliquo modo, ac proinde virtualiter saltem intrinsecè.

Simile denique argumentum fieri potest considerato Deo quatenus cognoscit se, seu est cognitio sui, & quatenus est obiectum suæ cognitionis. Necesse nimirum est, vt præcedat in ratione obiecti, & subsequatur in ratione cognoscentis, seu actualis cognitionis. Quia vt fert communis omnium consensus præeuntibus Philosopho, & Augustino: *Ex obiecto, & potentia paritur notitia*. Est igitur de conceptu cuiusvis notitiæ, siue creatæ, siue increatæ, vt præsupponat aliquo modo à parte rei potentiam, & obiectum, quæ per ipsam, redduntur cognoscens, & cognitum. Ergo datur, inter perfectiones diuinas, multiplex distinctio virtualis intrinseca, seu independentè à modo nostro concipiendi.

5. Verbum diuinum procedit, per intellectum, & non per voluntatem, Spiritus verò Sanctus per voluntatem, & non per intellectum; Adque verè à parte rei. Ergo intellectui, & voluntati diuinis conueniunt à parte rei prædicata contradictoria; ac proinde distinguuntur adinuicem virtualiter intrinsecè, id est, distinctione aliqua independenti à modo nostro concipiendi.

B

piendi

piendi, & maiori, quàm sit distinctio qualibet rationis per relationem ad connotata extrinseca realiter inter se distincta. Consequentia est legitima, ut patet, & ex dicendis reddetur clarissima. Probaturs antecedens ex Conc. Tolet. 11. in confessione fidei, ubi non esse credendum definit, quod Pater voluntate Filium genuerit, nec quod voluntas sapientiam prænenerit, sed natura. Conc. Synmense can. 21. Si quis, ait, consilio Dei factum Filium Dei asserit, anathema sit, ubi Hilarius pro consilio reponit voluntate libro de Synodis anathematismo 34. Similiter Aug. 1. 63. qq. ad Orosium q. 7. *Patrem ait, voluntate non genuisse filium.* Quia prænere voluntas sapientiam non potest. Similia habentur apud Hier. in illud ad Ephes. Qui prædestinavit nos. Athan. Dial. 2. de Trinit. pag. 4. & magis ex professo apud Cyrillum Alexand. 1. 1. Theauri c. 8. alioque PP. communiter ex quibus Magist. distinct. 7. & post ipsum ceteri Theologi concludunt Deum voluntate præcedente non genuisse Filium. Genuit autem procul dubio, præcedente intellectu. Manifestum igitur est intellectui, & voluntati Divinis convenire à parte rei prædicata contradictoria præcedentis, & non præcedentis Filium.

6. Deus misericordia miseretur, & nō inistitia iustitia cognoscit, punit, & non misericordia, immutata adest omnibus locis, & non æternitate, æternitate adest omnibus differentiis temporum, & non immensitate, intellectu, & non voluntate; Voluntate vult, & non intellectu; & sic de similibus; Atque hæc sunt vera de prædicatis istis divinis, ut sunt à parte rei. Nec dici potest prædicata ista divina esse synonyma, omnesque istiusmodi propositiones idem re ipsa significare. Omnes autem idem significarent à parte rei, omniaque talia Dei nomina essent re ipsa synonyma contra sententiam D. Thomæ quæst. 13. art. 4. aliorumque communem, si omnia prædicata absoluta, & necessaria Dei essent idem omnibus modis à parte rei, quia quæ sunt idem à parte rei omnibus modis, sunt obiectivè impræcindibilia per intellectum; ideoque omnia taliter identificata simul, atque indivisim cognoscuntur, & prædicantur re ipsa quoties aliquod eorum formaliter exprimitur per cognitionem, aut prædicatur. Dicendum igitur videtur prædicata Dei nuper inuicem collata, aliæque similia distingui inter se aliqua distinctione independente à modo nostro concipiendi; ac per consequens distingui saltem virtualiter intrinsecè. Huc etiam pertinent similitudo, & dissimilitudo Dei à parte rei per diversa sua prædicata respectu rerum creatarum realiter inter se distinctarum, aliæque eiusmodi, quæ sunt leuiores.

Art. 1. Respondetur. Cum constet ex q. proxime præcedenti, nullam dari distinctionem realem inter perfectiones divinas pertinentes ad constitutionem Deitatis, & communes tribus Personis divinis; similiterque statuendum sit in q. proxime sequenti, ex communi consensu, dari inter easdem perfectiones multiplicem distinctionem rationis extrinsecam, seu relatè ad connotata extrinseca; examinandum solum superest pro plena notitia simplicitatis divinæ; an datur inter eas perfectiones distinctio aliqua media, minor reali, & maior, quàm distinctio rationis extrinsecæ; id est qualis datur inter easdem perfectiones absolutas. Distinctionem istiusmodi mediam alij appellant distinctionem ex natura rei, seu formalem ex natura rei, ut plerique Scotistæ; alij rationis ratiocinata, seu rationis cum fundamento in re, ut plerique Thomistæ; alij realem, & secundum quid, seu realem diminutam; alij eminentialem, alij virtuales intrinsecam. Quæ locutionum discrepantia confusionem parit non parvam in indagandis auctorum sententiis circa præsentem quæstionem. Sed con-

fusionem parit longè maiorem, quod perpauci auctores satis clarè ac dilucidè exponant rem ipsam, quam affirmant, & quam negant, & quatenus re ipsa aut differant ab iis, quos impugnant, aut conveniant cum iis, quos approbant, ut conicere licet, inter alios in præfati, ex Gillio tract. 1. præfatum cap. 7. & 8. & tamen quæstio est tanti momenti ut meritò pronunciarerit D. Thomas in 1. distinct. 2. quæst. 1. articl. 3. & ex eo Torres de Trinit. quæstione 28. articl. 2. disputatione 2. initio, absque eius notitia nihil rectè intelligi posse in toto fere libro primo Magistri; id est, in quæstionibus de Deo fere omnibus.

Artic. 2. Dico igitur pro claritate quæstionis eiusmodi distinctionem mediam inter realem, & rationis purè extrinsecam esse habitudinem mutuam duorum prædicatorum, seu formalitatum duarum conflatarum ex reali earum inter se identitate, & ex reali obiectiva, ac intrinseca earumdem discrepantia quoad aliquod aliud tertium prædicatum, seu formalitatem. Vel dicatur brevius. Distinctio virtualis intrinseca est identitas realis coniuncta cum discrepantia intrinseca identificatorum, quoad aliquod prædicatum. Identitas realis duorum prædicatorum est mutua affirmabilitas vera ipsorum in recto, seu tanta utriusvis ex illis Communicatio respectu alterius, quanta est communicatio uniuscuiusque respectu sui. Nempe quæcumque realiter inuicem identificantur, sunt inuicem prædicabilia, & affirmabilia, sicut homo, & animal rationale; eademque se sibi inuicem communicant summè, & alterutrum tantumdem perficitur, aut deterioratur ab altero, quantum perficitur, aut deterioratur utrumvis à se ipso. Discrepantia intrinseca quoad aliquod prædicatum est affirmabilitas alicuius prædicati de altero extremorum identitatis coniuncta, cum negabilitate eiusdem prædicati secundum se, & ut est à parte rei, respectu alterius extremi eiusdem identitatis. Ita accidit in Deitate, & Paternitate, v. gr. quæ identificantur realiter inter se, suntque mutuè affirmabiles in recto. Verè enim Deitas est Paternitas, & Paternitas est Deitas; & nihilominus hoc prædicatum commune tribus Personis divinis est affirmabile de Deitate, simulque negabile de Paternitate ut est in se à parte rei. Verè enim Deitas est communis Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; cum tamen Paternitas non sit communis Filio, & Spiritui Sancto, nec sit affirmabilis verè de eisdem, ut sunt in se à parte rei, sed potius negabilis verè.

Art. 3. Quæcumque igitur ita se habent quoad identitatem mutuam, & mutuam simul discrepantiam intrinsecam in aliquo prædicato; ea verò omnia, & sola virtualiter intrinsecè distinguuntur inter se. Quapropter hæc duo indivisim complectemur deinceps nomine distinctionis virtualis intrinsecæ, quidquid sit de vocibus apud alios atque alios diversis, ut initio notatum est, deque eorum intentione, & significato reali, ac obiectivo. Supposita itaque, ex dictis supra, identitate reali inter omnes perfectiones, omniæque prædicata absoluta Dei; quæ identitas est altera pars distinctionis virtualis intrinsecæ, sola discutienda erit discrepantia realis, & intrinseca quoad aliquod prædicatum; quæ est altera pars eiusdem distinctionis.

An videlicet prædicatum aliquod affirmabile verè de vna aliqua perfectione essentiali, seu absolute Dei, possit nihilominus esse, sitque re ipsa eodem modo negabile de aliqua alia perfectione itidem essentiali, seu absolute Dei; idque ut sunt in se intrinsecè à parte rei? Quod nihil est aliud, quàm inquirere: an duabus aliquibus perfectionibus absolutis Dei, ut sunt in se à parte rei, convenire possint, conveniantque

niantque re ipsa praedicata aliqua contradictoria? Nempe affirmatio, & negatio eiusdem praedicati includit in se formaliter contradictionem; nihilque est aliud affirmare, & negare idem praedicatum de duobus sine realiter; sine ratione tantum inter se distinctis, quam dicere de iisdem praedicata contradictoria. Si enim de Petro dicatur currere, & de Paulo non currere: eo ipso dicta de illis erunt contradictoria, esse propositiones non sint futurae contradictoriae, quia non sunt de eodem. Patet autem contradictionem praedicatorum non auferri ex eo, quod subiecta utriusque praedicationis affirmatio & negatio ratione tantum distinguantur; siue auferatur ea de causa, siue non auferatur contradictio propositionum; de quo redibit infra sermo circa mysterium Trinitatis. Quod notare oportet propter falsum, & nonnullos alios confundentes, in praesenti controversia, contradictionem praedicatorum cum contradictione propositionum.

Art. 4. Dicendum iam est; nullis duabus perfectionibus diuinis absolutis, ut sunt in se a parte rei, convenire praedicata contradictoria, seu realem discrepantiam obiectivam quoad aliquod praedicatum; ac proinde nullas tales perfectiones distinguere inter se virtualiter intrinsece. Ratio est. Quia eo ipso daretur inter eas perfectiones distinctio aliqua realis, nec possent identificari adaequate inter se. Cuius consequentis falsitas & repugnantia cum fide, patet ex quaestione praecedenti. Probatur sequela; quia praedicata quaelibet contradictoria distinguuntur inter se distinctio aliqua reali. Ergo quibuscumque conveniunt praedicata contradictoria, eo ipso convenit distinctio aliqua realis. Patet consequentia; quia, cui convenit aliquid, necesse est, ut eo ipso conveniat, quod est inseparabile ab eodem, atque in eodem essentialiter includitur. Patet item antecedens. Primo, quia praedicata quaelibet contradictoria sibi invicem repugnant, seque alterum ab altero excludunt mutuo. Nihil autem sibi ipsi repugnat, seque ipsum excludit a se ipso. Ergo praedicata contradictoria non possunt esse adaequate idem, sed distinguuntur inter se necessario distinctio aliqua reali. Identitatem istam tantum inadaequatam, seu non omnimodam inter quaelibet etiam diuina, quae dissident realiter quoad aliquid quod praedicatum, agnoscit plane D. Greg. Nazianz. orat.; de Theologia paulo post med. ubi praemissa, ista obiectione Eunomianorum: *Sed si Filius, inquit, essentia idem cum Patre est, profecto cum ingenuus sit Pater, ingenuus quoque Filius erit*; in responsione subdit in haec verba: *Quod autem ingenuum, & Deus idem non sint, hinc fere intelliges. Si enim idem essent prorsus, quoniam Deus, quorundam Deus est quorundam quoque ingenuum esset: aut contra, quoniam ingenuum nullus est, nec Deus quoque aliquorum esset. Nam quae omnino eadem sunt, similiter etiam esserunt.*

Art. 5. Probatur rursus idem antedens. Oppositio relationis distinguit inter se realiter extrema, quibus ipsa inest a parte rei, nec permittit adaequatam, & omnimodam identitatem eorum inter se. Ergo oppositio contradictionis distinguit similiter extrema, quibus ipsa convenit. De antecedenti nullus dubitat Theologus, nec dubitare potest propter claram ea de re definitionem indicatam in quaestione praecedenti. Patet consequentia, quia oppositio contradictionis est oppositio omnium maxima; ac proinde non potest esse minor vis, & efficacia eius ad inducendam distinctionem realem extremorum; inter quae versatur, quam vis, & efficacia alterius cuiusquam oppositionis. Imò relationis oppositio hac pra-

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

cise de causa inducit essentialiter distinctionem realem suorum extremorum, quia essentialiter includit in se praedicata contradictoria respectu eorum.

Art. 6. Denique, ut idem antecedens probetur clarius, ponatur exemplum in intellectione, & volitione absoluta, & necessaria Dei. Quas duas perfectiones diuinas maxime omnium contendunt esse inter se distinctas virtualiter intrinsece, & capaces praedicatorum contradictorium, auctores opinionis contrariae.

Praedicatum verò, secundum quod invicem opponuntur contradictorie, sit illud, quo maxime omnium nituntur idem; nempe, *principium ut quo Verbi divini*; ita ut illud praedicatum sit affirmabile verè de intellectione diuina, ut est in se a parte rei. Idemque sit eodem modo negabile de volitione. Inquiri: Qui affirmat intellectionem diuinam, ut est in se a parte rei, esse principium quo Verbi divini; & qui hoc ipsum negat; hi, inquam, vel dicunt idem realiter, vel non dicunt realiter idem? Si dicunt idem realiter; Ergo non contradicunt sibi invicem realiter. Non enim contradicit alteri, qui dicit idem, ac dicit alter. Contradicunt autem: Quia contradicere nihil est aliud, quam negari ab uno sub iisdem terminis illud ipsum, quod affirmatur ab alio. Si autem non dicunt idem realiter, ut manifestum est non dicere; ergo esse principium quo Verbi divini, & non esse principium quo Verbi divini a parte rei, non sunt idem realiter, sed distinguuntur inter se realiter aliquo modo. Ergo si intellectioni diuinae ut est in se a parte rei, convenit esse principium quo Verbi divini, idque per realem identitatem huius praedicati cum eo subiecto; Volitioni verò diuinae convenit eodem modo non esse principium quo Verbi divini; distinguuntur utique realiter; quod convenit intellectioni diuinae, ut est in se a parte rei, per identitatem realem cum ipsa, & quod similiter convenit diuinae volitioni. Impossibile autem est, ea identificari inter se realiter adaequate, quae identificantur realiter cum distinctis inter se realiter. Eadem autem est ratio, ut patet de quibusvis praedicatis contradictoriis. Ergo quaelibet praedicata contradictoria distinguuntur inter se realiter; nec fieri potest, ut ea identificentur inter se realiter adaequate, quibus cum eadem praedicata contradictoria identificantur realiter; seu quibus ut sunt in se a parte rei, conveniunt talia praedicata.

Art. 7. Huiusmodi argumento, quo nihil evidentius esse potest, utitur Philosophus 4. Metaph. cap. 4. & 5. ad probandum, quodlibet esse, vel non esse; seu nihil esse, simulque non esse idem ipsum. Id est, utitur ad probandum hoc ipsum, in cuius probatione modò versamur. Si enim intellectio, & volitio diuinae identificantur inter se realiter adaequate, ideòque sunt unum, & idem realiter adaequate, & nihilominus volitio, prout est in se a parte rei, est principium quo Spiritus sancti, intellectio verò prout est in se a parte rei, non est principium quo Spiritus sancti; id est, non est illud ipsum, quod est volitio eodem modo considerata. Clare concluditur eidem ipsi convenire, ut sit, simulque non sit idem ipsum: Nempe intellectioni, volitioni, seu intellectioni, quae est idem cum volitione identitate reali adaequata, convenire esse, simulque non esse principium quo Spiritus sancti. Quod perinde est, atque dicere, principium ubi probatum à Philosopho, quodque est per se in se absolute, esse falsificabile; quo nihil absurdius, aut tam patenter absurdum dici profecto potest.

Art. 8. Præterea de quolibet est negabile verè, nec est affirmabile verè contradictorium ipsis: nec

B b 2 enim

enim est verum, principium quo Verbi Divini esse non principium quo Verbi Divini; sed è contra est verum, principium quo Verbi Divini non esse non principium quo Verbi Divini: Sicut lux non est non lux. Quæ autem inuicem negantur verè, & affirmantur inuicem falsè; proculdubio distinguuntur inter se realiter. Nullum quippe clarius distinctionis realis indicium esse potest, quàm mutua negabilitas vera, & mutua vera inaffirmabilitas. Imò communis, eadèque legitima proculdubio definitio identitatis realis est mutua affirmabilitas vera, vt initio præmissum est; distinctionis verò realis, mutua negabilitas. Cum ergo eadem sit ratio de quibusvis prædicatis contradictoriis; patet clarè quolibet prædicata contradictoria esse distincta realiter inter se, saltem inadæquatè; atque distinctionem aliquam realem esse indistinctam realiter ab iisdem. Ergo si aliquibus perfectionibus absolutis Dei, vt sunt in se à parte rei, conueniunt prædicata aliqua contradictoria, conuenit utique iisdem, vt sunt in se à parte rei, distinctio aliqua realis mutua, eaque non tantum secundum quid, seu improprie talis, sed proprie, ac simpliciter talis, saltem secundum aliquid: Nempè secundum illud saltem prædicatum, secundum quod opponuntur inuicem contradictoriè.

Art. 9. Talem nimirum distinctionem enuncunt omnino argumenta proposita, vt patet consideranti. Cui propterea non poterit non valdè probari indicium Adami in 1. dist. 1. Quæst. 12. art. 3. dub. 2. §. *Secundo dico*; Vbi, cum sermo esset de prædicatis contradictoriis admittendis in Deo inter ea, quæ non distinguuntur realiter vlllo modo, sic verissimè pronuntiat: *Imponere fidei tale inconueniens; est exponere fidem derisioni infidelium.* Commendat Adamum Falsus, licet non satis consequentiæ tenax re ipsa, q. 4. art. 2. debet 13. num. 102. *Quia*, inquit, *id perinde esset, atque affirmare falsum, quodlibet esse, vel non esse. Et verum, possibile esse, idem simul esse, & non esse.* Admittere autem distinctionem realem inter perfectiones diuinas absolutas; est scandalum fidelium, vt apparuit suprà; Quod est maior inconueniens. Et rursus adstruere distinctionem maiorem, quàm sit distinctio rationis purè extrinseca, quocumque demum nomine hæc vocetur, absque discrepantia obiectiua intrinseca distinctorum quoad aliquod prædicatum, adeoque sine prædicatis contradictoriis intrinsecis, est nihil re ipsa dicere, aut dicere inconsequenter, vt apparet ex expositione initio præmissa. Igitur ad vitandum omne inconueniens, neganda est, inter omnes, & quolibet perfectiones diuinas absolutas, distinctio virtualis intrinseca, & distinctio quolibet alia minor distinctione reali, & maior, quàm rationis purè extrinseca.

Art. 10. Plura alia argumenta confici possent in eandem rem. Primò ex conceptu puræ perfectionis; quatenus omnes formalitates diuinæ absolutæ, ac necessariae sunt puræ perfectiones; atque nulla pura perfectio potest opponi per vllum suum prædicatum vlli alij puræ perfectioni, sed toti illi se tota omnino congruit necessariò, vt superius semel, atque iterum dictum est, Et confirmatur. Quia aliàs fieri posset, vt duæ aliquæ puræ perfectiones non tantundem se sibi inuicem communicarent, nec tantundem perficerent se inuicem: quantum vnaquæque se sibi communicaret, seque perficeret. Neutra enim communicari posset alteri quoad prædicatum, secundum quod opponeretur illi contradictoriè, nec posset eatenus alteram perficere; Cum utramlibet contradictorium excludat potiùs à se formaliter, & immediatè alterum contradictorium. Haberet igitur utramlibet perfectio diuina, vel saltem altera, defectum in quem perfectionis alicuius peculiaris conuenientis

alteri, saltem quoad modum habendi talem perfectionem.

Art. 11. Secundò ex conceptu entis à se; quatenus Diuinitas, ideòque omnes, & singulæ perfectiones diuinæ, sunt ens à se, id est, existunt vi sua præcise, sibi que sufficiunt se solis ad existendum, ita vt per quandam veluti reflexionem, ex modo nostro concipiendi, tota diuinitas, seu cumulus omnium diuinarum perfectionum sit principium, & causa adæquatè sufficiens, & efficax existendi respectu vniuscuius diuinæ perfectionis seorsim. Ne videlicet dicatur, quamlibet, aut aliquam perfectionem diuinam existere vi principij non includentis in se, omnibus modis à parte rei, omnes perfectiones, quas includit in se principium, & causa cuiusvis creaturæ de cuius conceptu est, procedat à tota diuinitate secundum omnes suas perfectiones, vt sunt in se à parte rei, tanquam à principio, & causa sua adæquata. Vnde sequeretur volitionem Diuinam ex gr. non existere sapienter, quia non existeret vi sapientiæ, & intellectiōis perinde omnino, atque existit vi sua; intellectiōem verò Diuinam è conuerso existere quasi à casu, non ex intentione, vique amoris erga se perfectissimè, quia non existeret vi volitionis Diuinæ perinde omnino, atque sua ipsius vi, & sic de aliis perfectionibus Diuinis inuicem collatis. Nihil autem existit vi sui contradictorijs, neque aliquid esse est principium, & causa vel efficiens, vel sufficiens sui non esse, aut è conuerso: Cum nihil in se contineat, aut vi sua adiungat sibi, sed excludat potiùs, ac repellat suum contradictorium, seu non esse sui. Impossibile igitur est, vt illis perfectionibus inclusis in conceptu Deitatis, vt sunt in se à parte rei, insint prædicata aliqua contradictoria, seu esse aliquid, esse idem ipsum.

Art. 12. Tertiò ex conceptu entis summè ordinati; quatenus est de conceptu ordinis perfecti, vt quæcumque aliquo modo distinguuntur inter se reuocentur ad vnum aliquod principium simplex, & carens tali distinctione. Aliàs enim existent tanquam scopæ, vt dicitur, dissolutæ. Perfectiones autem Diuinæ, si distinguerentur aliquo modo inter se intrinsecè; non possent reuocari eo modo ad vnum principium: Tum quia nihil potest esse principium adiungendi sibi contradictorium suum, vt modo dicebatur: Tum quia, si vna aliqua perfectio Diuina esset aliquomodo principium aliàs, vel aliarum perfectionum Diuinarum à parte rei; esset utique principium æquiuocum ipsius, vel ipsarum, ac proinde esset perfectio maior, quàm ipsa, vel ipsæ. Quia est de ratione principij æquiuoci, vt excedat, sicut est de ratione principij vniuoci, vt sit æquale principiato. Repugnat autem cuius perfectioni Diuinæ, vt excedatur ab vlla alia perfectione, vt sunt in se à parte rei. Quolibet enim perfectio Diuina absoluta, & necessaria est melior ipsa, quàm non ipsa, vt infra dicitur; atque idè nulla eiusmodi perfectio potest esse minùs bona, quàm vlla alia, quatenus alia est, seu non est ipsa.

Artic. 13. Verùm hæc, & alia quàm plura similia propterea non tanti à me habentur, vt moram in eis faciam longiorem: Quia omnium huiusmodi argumentorum efficacia pendet ex eo, quod non possint identificari inuicem adæquatè, omnemque distinctionem realem, tam immediatam, quàm mediatam, seu in aliquo tertio, à se excludere ea, quibus conueniunt à parte rei prædicata contradictoria; atque hoc dato nullo vterius argumento opus est pro scopo nostro, & pro impugnatione eorum auctorum Catholicorum, quibus cum solis præsens initur controversia, his igitur prætermisissimè solum

solum addo Augustinum negantem lib. 7. de Trinit. cap. 2. inter essentiam, & attributa divina, illud distinctionis genus, quod admittit inter eandem, & Personas. *Non eo verbum, inquit, quo sapientia. Quia verbum non ad se dicitur, sed tantum relatiue ad eum, cuius verbum est, sicut Filius ad Patrem. Sapientia vero eo, quo essentia, & ideo quia una essentia, una sapientia.* Pende antithesim: *Non eo verbum, quo sapientia: Eo sapientia quo essentia.* Quod discrimen subsistere nequit absque indistinctione posteriorum praedicatorum contraria distinctioni priorum. Consonat Augustino Anselmus in Monol. cap. 14. initio dicens. *Itaque de rebus nulli dubium, quia nullum eorum substantiale, (id est, pertinet ad essentiam,) est illi, de quo relatiue dicitur.* Cap. vero 16. prope finem, *Vnum est, ait, quicquid essentialiter de summa substantia dicitur. Ipsa vno modo, vna consideratione est, quicquid est essentialiter.* Manifestum porro est non eodem modo quoad identitatem, & distinctionem inuicem comparari ea, quorum alterum substantiale non est; alterum vero ita ad substantiam, seu essentiam pertinet, vt sit vnum cum ipsa essentia vno modo, vna consideratione; id est, eodem prorsus modo; quo essentia ipsa est vna secum. Non igitur datur ex mente Augustini, & Anselmi inter essentiam, & essentialia, seu absoluta aliqua, vel omnia, ea distinctio, quae datur inter eandem essentiam, & relatiua. Inter essentiam autem, & relatiua sola datur distinctio virtualis intrinseca; id est, identitas vera, & realis coniuncta cum discrepantia obiectiua, & intrinseca quoad aliqua praedicata. Ergo non datur eiusmodi distinctio inter essentiam, & attributa, aut inter imperfectiones aliquas absolutas Dei. Ob haec igitur omnia asserenda est, inter omnia praedicata Dei absoluta, & necessaria, simplicitas perfectissima expers omnis omnino distinctionis obiectiuae, ac intrinsecae, atque aliquatenus maioris, quam quae consistit in modo nostro imperfecto concipiendi dependenter a connotatis extrinsecis creaturarum. Quae est res ipsa a nobis significata nomine distinctionis virtualis intrinsecae; nec alia esse potest, quae aliis vocibus initio notatis subiicitur in praesenti per alios auctores.

Ad 1. Aequialentia entitatis realiter simplicis, respectu plurium perfectionum realiter distinctarum, probat quidem distinctionem virtuales extrinsecam totidem formalitatum in entitate simplici; quatenus haec potest multipliciter representari relatiue ad singulas eas perfectiones realiter inter se distinctas; atque diuersas. Caterum distinctio virtualis intrinseca nullatenus inde deduci potest. Quia praedicata contradictoria inclusa in conceptu huius distinctionis conueniunt perfectionibus realiter inter se distinctis; ratione suae imperfectionis, ac limitationis, cui nullus est locus in entitate simplici aequivalenti illis pluribus quoad solam perfectionem, & non etiam quoad imperfectionem, & quoad ea, quae fundantur in imperfectione.

Ad 2. Distinctio realis rerum creaturarum est perfectio coniuncta cum imperfectione; sicut libertas ad amorem, & omissionem amoris Dei; potentia sentiendi; & similes. Fundatur enim in limitatione, & insufficientia bonitatis, quae inest unicuique enti creato; inducitque multitudinem in supplementum singulorum. Vnde modus, species, & ordo includuntur in suo conceptu talem distinctionem, pertinent ad rationem bonitatis causae non vero ad conceptum bonitatis secundum se, aut bonitatis primae; ex qua oritur omnis bonitas causata, & creata. Quo pacto exponit Augustinum D. Thomas quest. 6. artic. 1. ad 2. Vnde distinctio realis propria creaturarum datur in Deo aequialenter

R. P. de Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

quoad sufficientiam ad praestanda per se ipsum plura, quam quae praestari possunt ab vnaquolibet, creatura seorsim, quod spectat ad perfectionem, talis distinctionis. Non vero quoad oppositionem, contradictoriam inter perfectiones creatas; quod, spectat ad imperfectionem ipsarum, ipsiusque inter eas distinctionis.

Ad 3. Esto, sit perfectio sine imperfectione distinctio virtualis intrinseca inter formalitates, quarum altera, vel vtraque secundum se praescindit a perfectione simpliciter, vel etiam a sola perfectione simpliciter simplici; quales sunt omnes formalitates Diuinae personales; non tamen esset absque aliqua imperfectione distinctio virtualis intrinseca inter formalitates; quarum neutra secundum se caret perfectione simpliciter simplici; vel ab ea praescindit obiectiue. Quia quilibet perfectio simpliciter simplex est melior ipsa, ex suo conceptu, quam non ipsa; eaque propter quodlibet non ipsum, seu contradictorium quodlibet ipsius secundum se praecise includit in se defectum alicuius melioritatis, ac proinde, & bonitatis alicuius. Qui defectus est imperfectio, vt declarabitur infra.

Omnes autem formalitates Diuinae absolutae, & necessariae sunt perfectiones simpliciter simplices; cum formalitates personales secundum se, aut nullae sint perfectiones, aut certe non tales. Ergo nec ratio tenet, nec paritas obiectionis.

Art. 1. Ad 4. Omnes istae propositiones, causales verificantur ex solo nostro imperfecto concipiendi modo, qui cognoscit diuina adinstar creatorum. Quia cognoscit illa per solas istorum species tenaces originis suae, eiusque propagatrices in omni suo effectu. Caterum nulla est vilius generis antecessio obiectiua potentiae respectu sui actus, vbi nulla est perfectibilitas obiectiua & intrinseca potentiae per actum; Nulla vero est perfectibilitas obiectiua, & intrinseca potentiae; vbi nulla est obiectiua, & intrinseca vacuitas, nec indigentia aliqua vterioris perfectionis. In nulla autem formalitate absoluta, & necessaria Dei datur obiectiue, & intrinsece vacuitas vlla, aut indigentia vterioris perfectionis; cum qualibet sit pura perfectio simpliciter simplex. Quod si nulla eiusmodi potentialitas, seu potentia obiectiua, ac intrinseca, aut cognoscitiua, aut volitiua est in Deo; nulla quoque est antecessio obiectiua, & intrinseca, aut obiectiui iuuantis, ac mouentis ad cognitionem perfectiui cognoscentis, aut cognitionis dirigentis ad volendum. Quia omnis necessitas atque etiam vtilitas eiusmodi prauiae, seu directionis, seu iuuaminis fundatur in antecessione potentiae cognoscitiuae, & volitiuae respectu volitionis, & cognitionis.

Art. 2. Quapropter axiomata illa Philosophi de praecognitione voliti, & de ortu notitiae ab obiecto, & potentia, accipienda sunt de sola volitione, & notitia praesupponenti aliquo modo e parte rei, & independentem a modo nostro concipiendi, potentiam intellectiuam, & volitiuam perfectibilem per superadditam sibi cognitionem, & volitionem. De qua videlicet sola potentia ille agit, quaeque nullatenus datur in Deo. Continendus itaque est, cum quadam quasi violentia, noster intellectus, dum Deum considerat, ne ipsi, quoad haec, & eiusmodi alia, adscribat enuntiationem ex toto, vel ex parte, modum essendi obiectum talem, qualis est modus cognoscendi proprius eiusdem intellectus offuscato, ac praepediti speciebus rerum creaturarum; a quibus, tanquam ab exemplaribus, ac prototypis, dependet in omni sua operatione circa Diuina. Quae de re dicuntur plura in decursu.

Art. 1. Ad 5. Distinguo antecedens: Verbum Diuina

B b 3

nam

num procedit verè, & realiter per intellectum notionalem, & non per voluntatem notionalem; & Spiritus sanctus è contra; concedo antecedens. Rursus: Verbum procedit formaliter, & ex modo nostro concipiendi, per intellectum absolutum, tanquam connotatum proprium ipsius, & non procedit sic per voluntatem absolutam; & de Spiritu sancto è conuerso; concedo similiter antecedens. Verbum procedit re ipsa, independentè à modo nostro concipiendi, per solum intellectum absolutum, aut Spiritus sanctus per solam voluntatem absolutam; nego antecedens cum consequentia. Et sanè nihil absurdius dici potest, quàm omnem Dei operationem circa creaturas fieri sapienter, & ex vi amoris erga ipsas, ideòque per intellectum simul, & voluntatem; & tamen operationes præstantissimas ad intra peragi, alteram insipienter, seu non sapienter, nempe nihil operante intellectu re ipsa; alteram quasi fortuito; & inuoluntariè, & absque intentione præuia eius, quod ponitur à parte rei; atque adeò Filium Dei vni-genitum non existere re ipsa ex vi amoris paterni erga ipsum; neque Spiritus sanctum spirari ex vi cognitionis proponenti spiratori qualitatem, & prædicata omnia ipsius. Quæ tamen absurda, necesse est, vt dicat, quicumque dicit Verbum non procedere re ipsa per voluntatem absolutam; & similiter Spiritum sanctum non procedere re ipsa per intellectum absolutum. Iam quod concessum est de voluntate, & intellectu notionali à parte rei, nec non de absoluta ex modo concipiendi declarabitur ex professo in loco. Nempe sufficit pro nunc, à nemine ea de re dubitari.

Art. 2. Concilia, & PP. longè abeunt ab scopo obiectionis. Quia solum agunt de reprobando Ariano; cuius fundamentum aduersus diuinitatem Filij Dei erat hoc sophisma. Vel volens Pater genuit Filium, vel nolens. Si nolens; quis eum coegit? Certè maior aliquis, & Filio, & Patre. Quo obtinebatur plus etiam quàm intentum initio esset; Nempe nec Patrem esse Deum, nec Filium. Si volens; ergo liberè, & cum consideratione. Atqui necesse est libertatem, & considerationem, ante rem, esse, quæ sit cum libertate, & consideratione. Ante, inquam, vel actu; quod directè intendebatur ab Ario; vel saltem potentià; quod non minus sufficiebat eidem. Ita fere referunt Nazianz. orat. 3. quæst. 3. de Theol. colum. 4. Cyrillus Alex. lib. 8. Theol. cap. 8. initio, alii-que PP. disputantes aduersus Arianos.

Art. 3. Sophisma istud diluitur distinctione duplicis voluntatis; alterius liberæ libertate indifferentiæ, imperantis generationem Filij, atque ad eam determinantis intellectum paternum, seu Patrem ex se indifferentem; sicut determinatur omnipotentia ad productionem creaturæ; alterius, liberæ sola libertate opposita coactioni, seu spontaneo, simulque essentialiter determinate ad vnum ex sua natura, comitantis ratione nostra generationem, virtutemque generatiuum Filij; sicut comitatur productionem virtutemque diuinam productiuam hominis, virtus diuina productiuæ leonis. Quas duas virtutes nemo propterea asserit virtualiter intrinsecè distinctas inter se. Prioris generis voluntatem subintelligebant, & affirmabant Ariani in suo sophismate; eandemque subintelligunt Concilia, & Patres relati in obiectione, dum negant Filium voluntate genitum esse. Oportebat nimirum eo sensu repelli à Catholicis propositionem Arii, quo iste tanquam veneno illam imbebat.

Art. 4. Caterum secundi generis voluntatem, quæ à parte rei verè præcedat generationem Filij; tamen non negant Concilia, & PP. quàm non affirmat Arius; utpotè nihil conferentem ad scopum con-

trouersia de diuinitate Filij. Imò illam diserte affirmant plurimi PP. ac Theologi apud Montoyam disp. 93. de Trinit. sect. 2. à num. 14. & tota sect. 4. & 5. Vbi inter alios videri potest Hilarius ita exponens Synodum Syrmensem, vt, ex mente ipsius, eodem modo, quo negat processionem Filij per priorem indifferentem voluntatem, admittat processionem eiusdem per posteriorem necessariam voluntatem. Nemo autem non videt doctrinam istam nihil conferre ad scopum argumenti. Quandoquidem nemo est, qui neget distinctionem, vt minimùm, virtutalem intrinsecam terminationum liberarum Dei à natura Diuina. Confert verò plurimùm eadem doctrina ad scopum nostrum. Quia nequidem voluntas Dei absoluta, & necessaria deberet præcedere generationem Filij; si ea foret distincta virtualiter intrinsecè ab intellectu, & natura Diuina; certè non ita facilè, & clarè deprehendi posset ea præcedentia sub hac hypotheli.

Art. 5. Verùm, quia processio per voluntatem liberam libertate indifferentiæ tam negatur de Spiritu sancto, quàm negatur de Verbo; atque Sancti PP. vniuniformiter, eodemque prorsus sensu affirmant nonnunquam de Spiritu sancto, & negant de verbo processionem per voluntatem, alià insuper opus est interpretatione peculiari pro eiusmodi locutionibus. Nimirum, vt accipiantur, dum ita loquuntur, eamque comparisonem sic instituant; vel de voluntate notionali, in sensu reali, vel de absoluta, & necessaria, tantùm ex modo nostro concipiendi, iuxta distinctionem initio præmissam. Quo pacto legitime in concordiam rediguntur testimonia huius generis cum testimoniis aliis non paucis eorundem Patrum de processione Verbi per voluntatem, & per indicatis apud Montoyam. Nec enim Sancti PP. ubique loquuntur de hac re, aut in eodem sensu, aut in eundem scopum. Aliter enim oportebat eos loqui in contentiosa defensione Mysterij processionum Diuinarum aduersus fraudes Arii. Aliter verò in tranquilla eiusdem mysterij expositione directà ad fideles: eorumque familiari, ac vulgari concipiendi modo accommodata.

Art. 6. Voces substituantur rebus non præcisè vt sunt in se à parte rei, sed vt subsunt conceptibus loquentis. Conceptus autem nostri circa Deum sunt non solum vtique distincti; sed etiam specificè diuersi iuxta diuersitatem specificam rerum creaturarum, relatè ad quas, & per quarum species cognoscitur Deus. Quod non prouenit ex diuersitate obiectionis prædicatorum Dei secundùm se præcisè, quæ cognoscuntur in recto mediantibus creaturis, sed ex diuersitate rerum creaturarum, è quibus aliæ, atque aliæ cognoscuntur in obliquo simul cum Deo per alios, atque alios conceptus, ideòque per ipsos sortitur Deus aliam, atque aliam apparentiam respectu nostri intellectus. In hac porro apparentiæ diuersitate, circa rem obiectionis, ac in se intrinsecè eandem, consistit omnis distinctio virtualis extrinseca, seu rationis; tum ratiocinantis, per connotata secundæ intentionis; tum ratiocinatæ, per connotata primæ intentionis.

Art. 7. Propter identitatem obiectionis, quoad reatum, istiusmodi nostrorum conceptuum circa Deum, euadunt veræ propositiones affirmantes de se innicem prædicata Dei absoluta: vt, iustitia Dei est misericordia Dei; Immenitas est æternitas, &c. Propter diuersitatem verò realem, quoad obliquum, euadunt veræ propositiones obiectionis enunciantes contradictoria de iustitia, & misericordia Dei immenitate, & æternitate, &c. quin propterea eadem propositiones sint innicem contradictoria. Quia videlicet semper illis subest implicite, vel explicite, sensus re-

duplica

duplicatius includens simul cum Deo connotata creata realiter distincta, ac diuersa. Hac etiam præcisè de causa nomina Dei non sunt synonyma, licet ex parte recti omnia significant rem adæquatè eandem. Quæ est expressa doctrina D. Thomæ, aliorumque communis eodem illo in loco, quem indicat obiectio. Alia huiusmodi logicalia, quæ rebus quodque creatis sunt communia, exponuntur communiter in Logica, nec sunt huc omnia connexenda.



QVÆSTIO V.

Utrum essentia Dei constituatur formaliter per conceptum entis à se?



IDEATUR non constitui. 1. Quia ratio entis à se est transcendens respectu omnium predicatorum Dei, sicut esse immensum, æternum, &c. Repugnat autem rationi essentiae, ut sit ita transcendens.

2. Essentia est præcipua in vnoquoque, summaque perfectio; utpote continens in se tanquam prima radix, cætera omnia, quæ insunt rei. Talis autem est in Deo, ratione nostra, uti est realiter in rebus creatis, gradus solus intellectui, aut intellectio actualis, ut multis contendunt Falsus Herice, & alij. Hoc igitur potissimum conceptu constituitur formaliter essentia Dei.

3. Omnia prædicata Dei, quæ sunt posteriora ratione, quam eius essentia, habent rationem attributi. Conceptus autem substantiæ, viventis, & similes, sunt posteriores in Deo ratione nostra, quam conceptus entis à se; & tamen non sunt attributa, ex communi omnium sententia. Ergo.

4. Essentia cuiusque, & definitio obiectiua sunt idem etiam formaliter, & ratione nostra. Ratio autem entis est extra definitionem, & est prior eadem. Nempe quæstio quia est, præcedit quæstionem quid est, ut docet D. Thomas ex Philosopho 2. poster. 6. Ergo eadem ratio entis est etiam extra essentiam.

5. Definitio, ut docetur ibidem, debet constare ex genere, & differentia; ens autem non est genus, ut docent frequenter Philosophus, D. Thomas, & alij. Idem colligitur ex eo, quod dictum est supra, Deum sub nullo genere vniuocè contineri. Continetur enim vniuocè sub ratione entis. Quia sub hoc conceptu formali præcisè, nec ex parte recti, nec ex parte obliqui, seu connotati, apprehenditur quidquam diuersum respectu Dei, & respectu creaturæ.

6. Essentia, & existentia: esse, & existere distinguuntur realiter in rebus creatis, ut docet sæpè D. Thomas, & post ipsum plures alij. Ergo distinguuntur in Deo ratione. Ergo ratio entis, seu ipsam esse non pertinet formaliter ad conceptum essentiali Dei.

7. Aseitas est conceptus negatiuus. Perinde namque est, atque conceptus non habentis causam à se distinctam. Essentia autem entis positui, quale proculdubio est Deus, est conceptus adæquatè posituius. Quia per negationem non exponitur, quid sit res, sed quid non sit. Ergo aseitas non pertinet ad essen-

tiam Dei. Quod si propterea dicatur istud prædicatum esse posituium: difficultatem ingerit, quod docet Damasc. lib. 1. de fide cap. 12. initio; Omne posituium, & quidquid per Theologiam affirmatiuam dicitur à nobis de Deo, esse extra eius essentiam. Dicendum igitur videtur, nullum conceptum quidditatiuum, & essentiali Dei, siue affirmando, siue negando, esse assignabilem à nobis iuxta modum, quo ipsum apprehendere, & cognoscere valemus, dum sumus in via.

Art. 1. Respondetur. Quod est primum in vnoquoque constitutum ipsius, & distinctum eiusdem ab omnibus aliis; id verò ab omnibus essentia dicitur. Primum autem intelligitur, & posituium, & negatiue tale. Negatiue quidem; quatenus nihil eiusmodi ante se præsupponit. Positiue verò; quatenus est radix, & principium, aliquali cæterorum omnium, quæ vnicuique insunt. Hinc colligitur, iunctis iis, quæ dicta sunt in quæstione præcedenti, nullum esse discrimen obiectiuium, & intrinsecum inter prædicata Dei essentialia, & non essentialia, præterquam facta comparatione inter prædicata absoluta, & necessaria, ex vna parte; & relativa, atque terminationes liberas, ex parte altera. Nempe, respectu istorum posteriorum, illa priora habent procul dubio rationem essentiae. Quia habent, respectu eorundem, aliquod prioritatis genus ex parte obiecti, ut infra dicitur; seque solis sufficient ad discretionem Dei ab omnibus, & quibuscumque aliis, quæ non sunt Deus. Vnde nomine essentiae Dei, & predicatorum essentialium, frequenter intelliguntur omnia prædicata absoluta, & necessaria sumpta collectiue, & prout distincta virtualiter intrinsecè à personalitatibus, & conceptibus omnibus relatiuis; nec non à terminationibus liberis, quatenus libris.

Art. 2. Solum igitur superest quæstio de conceptu essentiali metaphysicè, & ex modo nostro concipiendi; id est, de sola distinctione virtuali extrinsecè inter conceptum primum, & conceptus secundarios Dei relatè ad connotata creata habentia, inter se, ordinem realem prioris, & posterioris. Etenim prædicata Dei differentialia, & discretiua à rebus creatis, si secundum se præcisè considerentur, & independentè à relatione ad connotata creata, omnia sunt simul, non solum obiectiue, & intrinsecè; sed etiam ratione, & ex modo concipiendi. Quia in ipsis secundum se nullum est fundamentum præferendi, aut postponendi vnum, seu conceptum, seu prædicatum alicui alij conceptui, aut prædicato; cum secundum se præcisè nihilo discrepent inter se; ut dictum est supra; nec possit intellectus fortiri differentiam ullam posituiam quoad suos conceptus formales, nisi ex parte obiecti apprehensi existat aliquod discrimen causalium differentiae inter cognitiones.

Art. 3. Certum nihilominus est, eadem Dei prædicata posse alia aliis esse priora, & posteriora, ratione nostra, dum concipiuntur relatè ad connotata creata, quorum alia aliis sunt priora, aut posteriora realiter. Sicut enim prædicata Dei distinguuntur inuicem ratione, propter diuersitatem realem rerum creaturarum, per quarum species, & adinstar quarum concipitur Deus: ita etiam ordinantur inuicem, tanquam prius, & posterius ratione, propter ordinem realem prioris, & posterioris conuenientem rebus creatis, quarum speciebus, & adinstar quarum concipitur Deus. Nempe Deus cognitus iam mediantibus creaturis habentibus rationem prioris, iam mediantibus iis, quæ habent rationem posterioris, apparet intellectui iam ut prior, iam ut posterior respectu sui ipsius. Prior quidem quoad perfectionem similem